

§. 6. Cultus externus Deo competens dicitur *religiosus*, a quo differt *civilis*, non quidem semper *habitu, situ & gestu corporis*, sed *sententia de eo, qui colitur, declaratione*. Proinde si in genua procumbimus coram aliquo, animo declarandi eo signo, quod habeamus ipsum pro Deo, est *cultus religiosus*; si vero idem facimus, ut modo ipsius imperium agnoscamus, est *cultus civilis*.

CAP. I.

DE AMORE ERGA DEVM.

§. 1.

Per *amorem Dei* intelligo *mentis nostræ propensionem in Deum*, qualem vocare solent *amorem concupiscentiæ*, in quo Deum ceu primum nostrum bonum, a quo esse & bene esse nostrum unice dependet, nobis concipimus & adpetimus.

§. 2. Quod autem Deus amandus, fuit ex ipsius *benignitate*, qui enim se nobis benignum exhibet ad illum amandum sumus obligati.

§. 3. Amandus porro est DEUS *amore summo*, idque ideo, quia omnium bonorum summum & maximum est. Quodsi itaque concurrat amor *vite nostræ, aliorum hominum, opum nostrarum, honoris ac voluptatis cum amore Dei*, amor illarum rerum amori Dei postponendus est.

§. 4. Peccant itaque contra hoc præceptum
I non